

membrorum officio destituta, cognitis beati viri miraculis, rogavit a parentibus suis, ut ad prædictam portata perveniret ecclesiam, quod ibi divinam per S. Mainulfi merita experiri vellet misericordiam, Deniq; rogavit, nec non rogando impetravit. Quod cum compertum foret famulabus Dei, statim plenz fuerant bonæ spei, nihil penitus hæsitantes in corde suo, super divinæ miserationis auxilio: præsertim, quia ipsa mulier, quæ spe curationis advenerat, constantis fidei in Domino fuerat. Didicerant enim ex doctrina Evangelij, quia *omnia possibilia sunt credenti*. Itaque mulieris paralyticæ semivivum corpus prædicta salutari aqua perunxerunt, perunctumque CHRISTOPER merita S. Mainulfi commendaverunt. Sed ille, quia in se sperantes deserere non novit, nec harum fidem deseruit. Nam infra paucos dies, mulier ex illa acerrima corporis attritione convaluit, & ad tantam valetudinem restituit, ut nec ali- quod infirmitatis signum in ea remanserit.

Cap. VII. *Alia mulier cancro laborans sanatur.*

Nec nos patimur sanctam Ecclesiam clam esse, qualiter ibidem DEUS cuidam alteri succurreret femina, quæ laborabat peste immensâ & miserabili, & ideo major est majestas miraculi. Morbus enim, cui medicinalis auctoritas canceri vulnus vocabulum indidit, dexteram ejus mamillam mordaciter contrivit, & post grandævam contritionem funditus exedit. Qua exesa, obsedit etiam carnis contigua loca: usque adeo vis ejus prævaluit, ut etiam superficiem constarum

N 5 starum

